Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema LX.

urn:nbn:de:bsz:31-130978

Visual Library

21. Hæc conſolationum pondera Paulus etiam habet, Rō. 8.17. ſi compatimur. Et 1. Tim. 2. v. 11. 2. Cor. 4. v. 17. Et non ſunt pares afflictiones, Rom 8. v. 18.

Ecce, ô Chriſtiane, paratam in omnibus afflictionibus conſolationem: quam qui vera fide amplectitur, nunquā anxius erit nec deſperabit, non deſeretur, nec peribit: ſed per Chriſtum viuificabitur & viuet, Joan. 14. v. 19. Viuo ego & vos viuetis.

F I N I S.

THEMA LX.

2. Cor. 4. v. 14.

Scimus quod qui ſuſcitauit Dominum Ieſum, nos quoque per Ieſum ſuſcitabit & conſtituet vobiſcum.

D I S P O S I T I O.

Credimus reſurrectionem carnis. Eſt enim hic articulus ſymboli vndecimus. Hunc vero amplectimur & credimus propter præcedentem quintum, vbi confitemur quod Chriſtus tertia die reſurrexerit à mortuis. Si enim Chriſtus non reſurrexit: nec mortui reſurgent Quia vero Chriſtus reſurrexit, primitiæ reſurgentium ſcilicet, etiam alii omnes reſurgent. Sicut hoc prolixe diducit Paulus, 1. Cor. 15. v. 13. vſque ad 24.

Verbis autem prælectis Paulus alio etiam argumento vtitur: quod ratione effectus cum priori conuenit, & ſic concludit; Si Deus Filium Jeſum ſuſcitauit, ſuſcitabit etiam nos. Quia videlicet alias etiam cū filio omnia nobis beneficia) quæ filii propria erant) donauit, Rom. 8. v. 32. Et eodem argumento Paulus loco citato v. 11. verbis paululum mutatis idem probare conatur. Vtitur autem Paulus verbis valde emphaticis quæ ſingula primum ponderabimus. Deinde ſubiiciemus locos communes.

Textus.

1. Primum, *Scimus*, inquit Paulus, hoc quod vos docemus. De hoc ſumus, quam certiſſimi.

2. Hoc autem ſcimus, Jeſum eſſe ſuſcitatum à mortuis.

3. Vnde hoc ſcimus? Ex ſcripturis. Sicut 1. Cor. 15. v. 4. vrget hoc, quod ſit mortuus & reſuſcitatus iuxta ſcripturas, veteris ſc. Teſtamenti: vt pote, Pſal. 16. v 9. & ſeqq. Pſ. 110. v. 7. Eſa. 53. v. 8. & 11. Et multis aliis locis. Scimus autem hoc clarius ex hiſtoria Euangeliſtarum.

4. Scimus etiam per quem ſit excitatus à mortuis: ſc. à Deo patre. Sic enim Paulus, Rom. 6. v. 4 Chriſtus excitatus à mortuis eſt per gloriam patris: Eph. 1. v. 20. idem fere aſſerit quod ſuſcitauerit pater Chriſtum ex mortuis & exercuerit ſic efficaciam roboris, &c.

5. At quid iuuat ſcire quod Chriſtus ſit excitatus à patre? Multum ſane. Sic enim Paulus progreditur, quod is qui excitauit Jeſum, nos etiam ſit ſuſcitaturus.

6. Quomodo ſuſcitabit autem nos? Per Jeſum. Id ſaluator ipſe nobis declarat, Ioh. 5. v. 28.

7. Tandem addit & hoc Paulus *Et conſtituet vobiſcum* Germ. Wird vns darſtellen ſampt euch. Ne videretur Paulus tantum Apoſtolis velle ſpem facere de reſurrectione mortuorum: Ideoque docet Corinthios quoque, imo omnes ſimul Chriſtianos viuos eſſe ſtatuendos ante faciem ſaluatoris. Sicut & 2. Cor. 5. v. 10. habet, omnes manifeſtari oportet.

LOCI.

I. De reſurrectione mortuorum Chriſtiani poſſunt & debent eſſe quam certiſſimi: quia is qui Chriſtum ſuſcitauit, adhuc viuit & regnat in ſecula. Nec impotentior factus eſt, Eſa. 59. v. 1. Vide argumenta Paulina ex Chriſti reſuſcitatione deſumpta, 1. Cor. 15. v. 12. vſque ad 24.

Quamuis autem nos credere reſurrectionem mortuorum

rum

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

um profiteamur in ſymbolo, tamen multi ſunt qui in corde ſuo diuerſum ſentiunt. Ratio enim nunquam hoc credit, niſi ducatur captiua, 2. Cor. 10. v. 5. Ideoq; neceſſe eſt, vt probè muniatur animus, huiuſmodi ſcripturæ dictis: qualia multa extant in veteris & noui teſtamenti libris ſupra paſſim allegata. Inſigniora hæc, Dan. 12. Multi qui dormiunt, Hiob 19 v. 25. Scio quod redemptor, &c. [Ita & Paulus hic ait: *Scimus*: Non poſſumus amplius dubitare.] Eſa. 25. v. 7. & 26. v. 19. Joan. 5. v 28. & 1. Theſſ. 4. v. 13 & 1. Cor. 15 per totum.

II. Magna conſolatio ex hoc loco peti poteſt, contra furores mundi, qui pijs ſubinde minatus mortem: *Sicut* in hoc ipſo capite Paulus ad longum demonſtrauit, verſu 8. vſque ad verſ. 12. Et hunc locum conſolationis cauſa ſubiecit, ſic concludens, Fremat ſane mundus, & plane nobis hanc miſeram atque caducam vitam eripiat, quid tum poſtea? Scimus, quod pater Domini noſtri JeſuChriſti ſit nos ſuſcitaturus ex morte, &c. *Eadem* conſolationis argumenta producit Chriſtus Joan. 14. v. 19. Viuo ego & vos viuetis, Joan. 16. v. 22. Videbo vos & gaudebit cor veſtrum.

III. Quid horremus mortem, qui propediem ſumus ſuſcitandi? Nemo ſapiens renuit ire cubitum, quia ſperat, ſe ſanum atque vegetum poſt paucas horas ſurrecturum & euigilaturum è ſomno, Pſal. 3. v 6. Cubo & euigilabo, Pſal. 17. v. 15. *Surgam* ſatiatus imagine tua.

Ideoq; *modicum* vel *momentum* tantum vult abſcondi ſub terra eos, qui dormiunt in cubilibus, Eſa. 26. v. 20.

Sicut enim Chriſtus tertia ſtatim die reſuſcitatus eſt ita & poſt paucos dies ſurgent mortui: quia mille anni coram Deo ſicut dies vna, Pſal. 90. v. 4.

Ideoque triduum, vocat, Hoſ. 6. v. 2. Viuificabit poſt tres dies. Et certe qui ante ter mille aut complures annos vita functi ſunt, in reſurrectione mortuorum videbuntur ſibi tantum triduo quieuiſſe

IV. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, quod in fine

huius ſententiolæ habet Paulus : Omnes ſe eſſe ſtatuendos (darſtellen) ſcil. ante faciem Chriſti. Et hoc explicat nobis Paulus latius 2. Cor. 5. v. 10. Vide huius loci explicationem poſt, in Diſpoſitione Thematis LXIV.

FINIS.

THEMA LXI.

2. Cor. 4. v. 17.

Momentanea leuitas afflictionis, &c.

DISPOSITIONEM huius Thematis vide ſupra in I. parte Promptuarii Claſſe V. Num. 21. pag. 394.

THEMA LXII.

2. Cor. 5. v. 1. vſque ad 6.

Scimus enim quod ſi terrenum domicilium noſtrum huius tabernaculi deſtructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus domicilium non manu factum, æternum in cœlis. Nam & in hoc gemimus, domicilio noſtro quod à cœlo eſt, ſuperindui deſiderantes, ſi tamen induti, non nudi reperiemur. Etenim qui ſumus in tabernaculo hoc, gemimus onerati, propterea quod non volumus exui, ſed ſuperindui, vt abſorbeatur mortalitas à vita. Porro qui parauit nos in hoc ipſum, Deus eſt, qui idem dedit nobis arrhabonem ſpiritus.

DISPOSITIO.

Quod Paulus duobus verbis, Phil. 1 ver. 13. complectitur, cupio diſſolui: idipſum hoc loco prolixe diducit deſiderium ſcilicet ſuum explicans emigrandi ex hac vita in cœleſtem patriam. Illuſtrat quoque hanc rem eleganti ſimilitudine de tabernaculo, & ædificatione, &c. Multa etiam notatu digna concurrunt. Nos vero ordinis & memoriæ cauſa hæc annotabimus.

1. Dicemus de tabernaculo huius vitæ ſiue terreno.

2. De